

B. Quoad catholicorum matrimonia sola quaestio agitari potest, sitne lex Trid. promulgata necne, ideoque sintne eorum matrimonia clandestina tantum illicita, an etiam invalida.

Circa quam quaestionem Konings l. c. n. 1607 contendit, paucissimas esse parochias canonice erectas seu tales, quarum rector *teneatur stricte* diebus Dominicis et festivis Missam applicare pro populo: proin, etiamsi decretum Trid. in pluribus locis observetur tamquam lex valorem matrimonii afficiens, revera tamen valorem paucissimis tantum in locis attingi, eo quod conditio legis Trid., i. e. promulgatio in parochia, non adsit neque adesse possit.

Quod quo sensu verum sit, non audeo certo sententia mea comprobare, siquidem accuratum statum ecclesiastici regiminis pro illis locis non perspexi. Quid opiner, dicam. Non tam ex obligatione applicandae Missae pro populo eruerim discrimen, utrum adsit parochia ut locus aptus, ubi fiat promulgatio a Concilio Trid. praescripta, necne; sed potius ex eo, utrum Christifideles, Episcopis sic disponentibus, ita sint certis et definitis districtibus addicti, ut *ex se* in sola sui districtus ecclesia legem Paschalis Communionis implere possint, ad eam solam infantes suos baptizandos afferre liceat etc., an summo saltem jure possint aliorum districtuum sacerdotum ministerio uti. Posterius si iis licet, parochiam sensu Tridentino non adesse sentio, neque legem clandestinitatis vim irritandi matrimonii ibi per se habere; sin prius obtinet, clandestinitatis legem, si promulgata sit, irritandi vim exercere. Ratio autem, cur potius istas obligationes fidelium pro distinguendis veris parochiis ab aliis districtibus assumam, quam obligationem applicandae Missae, est, quia haec obligatio etiam aliquo modo fundatur in redditibus ecclesiastici beneficii, quos sacerdos percepturus est; insuper Ecclesia ipsa hanc conditionem non habet pro necessaria, ut existere possit parochia eo sensu, quo relate ad matrimonium concilium Trid. eam intellexit. Nam sane haec conditio saeculo sexto decimo et septimo decimo in Japonia non erat impleta, siquidem omnes illius imperii districtus a Missionariis administrabantur, neque id Romae ignorabatur, nihilominus ante persecutionem initio septimi decimi saeculi excitatam legem clandestinitatis plane obligasse et viguisse tamquam legem irritantem, ex responsis S. Sedis patet: vide Collectanea Const. S. Sedis n. 978. sqq. Cf. etiam Feijje *de imped.* etc. n. 335; Braun in lib. period. *Archiv für kathol. K.-R.* vol. 50 p. 347.

Huc pertinet etiam (cf. *Acta S. Sedis* vol. 17 pag. 351) declaratio S. Officii pro provincia Quebecensi; quae etiam magis stet pro valore legis Tridentinae de clandestinitate. In illa enim Americae provincia ex mandato Episcoporum lex Tridentina „*Tametsi*“ tamquam lex irritans promulgata erat tum in *quasi-parochiis*, i. e. districtibus per Episcopum circumscriptis, in quibus sacerdos ordinarie vel principaliter residet, tum in *missionibus*, quae suis temporibus a sacerdote visitari tantum solent. De utrisque locis quaesitum est: „*An valida fuerit promulgatio decreti „Tametsi“ Concilii Tridentini in missionibus et in quasi-parochiis supra dictis.*“ — Cui dubio a S. Congr. S. R. U. Inquis. 14. Nov. 1883 responsum est, idque eodem die a SS. D. N. Leone XIII. ratum habitum: *Juxta exposita affirmative et ad mentem. Mens est, quod in locis, ubi haberi nequeat parochus, validum est matrimonium celebratum coram duobus testibus; contrahentibus tamen onus inest recipiendi, quam primum id fieri possit, benedictionem nuptialem, et curandi, ut eorundem matrimonium inscribatur in sacramentali registro missionis vel proximioris ecclesiae, cui subjiciuntur.*

790 C. Relicta igitur hac quaestione aliorum, ad quos spectat, iudicio, noto ex relatione Concilii plen. Balt. III. regiones Americae Septentr. Stat. Foeder., et ex Konings l. c. regiones Americae Britannicae, ubi lex Trid. quoad catholicorum matrimonia sive publicata sit sive ut lex irritans observetur, ubi non.

Non observatur: 1. in provincia Oregon, imo promulgatio alicubi facta a S. Sede annullata est;

data, per S. Sedem expresse extensa est; sed haec extensio pro provincia S. Fidei est negata: quare ibi quaestio de valore matrimoniorum haeticorum et mixtorum ex principiis communibus dijudicanda est secundum ea, quae modo dicta sunt n. 783.

2. in provinciis Baltmor., Philadelph., Neo-Eborac., Boston., Milwaukiensi;

3. in maxima parte provinc. Cincinnatensis, S. Ludovici, Chicago;

4. in Americae Britannicae dioecesi Ottawa prov. Quebec, tota provincia Halifax, Canada superiore, Vicariatu Ap. Sault S. Mary.

E contrario observatur: 1. In provinciis Neo-Aurelianensi; Sanctae Fidei (Santa Fé), excepta parte septentr. territorii Colorado; S. Francisci cum territorio Utah, excepta ea parte, quae est ad orientem fluminis Colorado; in dioecesi Vincennopolitana provinciae Cincinnat.; ex dioecesi S. Ludovici (provinc. ejusdem nominis) in ipsa civitate S. Ludovici cum locis S. Genovefae, S. Ferdinandi et S. Caroli; in dioecesi Alton in aliquibus parochiis, sc.: Kaskaskia, Cohakia, French Village, Prairie du Rocher.

2. In America Britannica observatur in provincia Quebec, excepta dioecesi Ottawa, in provincia S. Bonifacii.

Recensui quidem regiones, in quibus vigeat vel non vigeat lex Tridentina de matrimoniis clandestinis. Verum in iis locis, ubi non vigeat, utrum matrimonia clandestina (inter quae censerentur debent matrimonia civilia, et ea, quae coram acatholico ministro ineuntur) re ipsa sint valida, an invalida, potest a persuasione pendere, qua contrahentes circa valorem vel nullitatem talis matrimonii affecti sunt: de quo cf. supra n. 692.

Nota Peccata, quae in violandis legibus impedimentorum occurrere possunt, inutile est recensere et distinguere, tum quia supra satis exposita sunt, tum quia cujuslibet impedimenti lex per se sub gravi omnino obligat.

Caput III.

De impedimentis matrimonii tollendis.

(Cf. Bangen, Knopp, von Kutschker, von Schulte etc. opera cit.)

§ 1.

De potestate dispensandi et de diversis tribunalibus.

I. Dispensatio in solis illis impedimentis concedi potest, quae sunt certo ecclesiastica tantum. Atque eo difficilior evadit dispensatio, quo magis ecclesiastica lex in naturali quadam decentia sive indecentia nititur.

II. S. Pontifex solus sine causa dispensare potest. Episcopi alique, qui a S. Pontifice potestatem dispensandi acceperunt, non possunt valide sine justa causa, neque aliter, nisi secundum normam a sancta Sede praescriptam.

III. Episcopi ordinaria (quamquam non propria) potestate — ergo etiamsi speciale privilegium a sancta Sede non acceperunt — dispensare possunt: 1) in impedimentis occultis, si causa ita urget, ut recursus ad sanctam Sedem haberi nequeat; 2) in impedimentis dubiis dubio facti, quando pro impedimenti existentia magna praesumptio non est; 3) in impedimentis etiam publicis, urgente causa cum aegrotis in mortis periculo constitutis, secundum normam in nota adjectam¹.

¹ En literae, quas jussu Leonis XIII. Card. Monaco 20. Febr. 1888 Ordinariis misit:

„De mandato Sanctissimi D. N. Leonis XIII. Supremae Congregationi S. Rom. et Univ. Inquisitionis nuperrimis temporibus duplex quaestionum genus expendum propositum fuit. Primum respicit facultates, quibus urgente mortis periculo, quando tempus non suppetit recurrendi ad S. Sedem, augere conveniat locorum Or-

In aliis causis id solum possunt, quod Papa privilegio concesserit.
IV. S. Pontifex suam potestatem per varia tribunalia exercere solet, Datariam et Poenitentiarum: quorum aliqualis notitia hinc danda est.

dinarios dispensandi super impedimentis publicis matrimonium dirimentibus cum iis, qui juxta civiles leges sunt conjuncti aut alias in concubinato vivunt, ut morituri in tanta temporis angustia in faciem Ecclesiae rite copulari et propriae conscientiae consulere valeant: alterum spectat ad executionem dispensationum, quae ab Apostolica Sede impertiri solent.

Ad primum quod attinet, re serio diligenterque perpensa, adprobatoque et confirmato Eminentissimorum Patrum una mecum Generalium Inquisitorum suffragio, Sanctitas Sua benigne annuit pro gratia, qua locorum Ordinarii dispensare valeant sive per se, sive per ecclesiasticam personam sibi benevisam*) aegrotos in gravissimo mortis periculo constitutos, quando non suppetit tempus recurrendi ad S. Sedem super impedimentis quantumvis publicis matrimonium jure ecclesiastico dirimentibus, excepto sacro presbyteratus Ordine et affinitate lineae rectae ex copula licita proveniente.

Mens autem est ejusdem Sanctitatis Suae, ut si quando, quod absit, necessitas ferat, ut dispensandum sit cum iis, qui sacro subdiaconatus aut diaconatus Ordine sunt insigniti, vel solemnem professionem religiosam emisissent atque post dispensationem et matrimonium rite celebratum convaluerint, in extraordinariis hujusmodi casibus, Ordinarii de impertita dispensatione Supremam Sancti Officii Congregationem certiore faciant et interim omni ope curent, ut scandalum, si quod adsit, eo meliori modo quo fieri possit removeatur, tum inducendo eosdem, ut in loca se conferant, ubi eorum conditio ecclesiastica aut religiosa ignoratur, tum si id obtineri nequeat, injungendo saltem iisdem spiritualia exercitia aliasque salutares poenitentias atque eam vitae rationem, quae praeteritis excessibus redimendis apta videatur, quaeque fidelibus exemplo sit ad recte et christiane vivendum.

De altero vero quaestionum genere, item adprobato et confirmato eorumdem Eminentissimorum Patrum suffragio Sanctissimus sanxit:

1. Dispensationes matrimoniales omnes in posterum committendas esse vel *oratorum Ordinario* vel *Ordinario loci*.

2. Appellatione *Ordinarii* venire Episcopos, Administratores seu Vicarios Apostolicos, Praelatos seu Praefectos habentes jurisdictionem cum territorio separato, eorumque officiales seu Vicarios in Spiritualibus generales, et sede vacante Vicarium Capitularem vel legitimum Administratorem.

3. Vicarium Capitularem seu Administratorem eas quoque dispensationes Apostolicas exsequi posse, quae remissae fuerint Episcopo aut Vicario ejus generali vel Officiali, nondum executioni mandatas, sive hi illas exsequi coeperint, sive non. Et vicissim sede deinde provisa, posse Episcopum vel ejus Vicarium in Spiritualibus generalem seu Officiale exsequi dispensationes, quae Vicario Capitulari exsequendae remissae fuerant, seu hic illas exsequi coeperit, seu minus.

4. Dispensationes matrimoniales Ordinario oratorum commissas exsequendas esse ab illo Ordinario, qui literas testimoniales dedit vel preces transmisit ad S. Sedem Apostolicam, sive sit Ordinarius originis sive domicilii, sive utriusque sponsi, sive alterutrius eorum; etiamsi sponsi, quo tempore executioni danda erit dispensatio, relicto illius dioecesis domicilio, in aliam dioecesim discesserint, non amplius reversuri, monito tamen, si id expedire judicaverit, Ordinario loci, in quo matrimonium contrahitur.

5. Ordinario praedicto fas esse, si ita quoque expedire judicaverit, ad dispensationis executionem delegare alium Ordinarium, eum praesertim, in cujus dioecesi sponsi actu degunt.

*) *Habitualiter* subdelegari haec facultas potest *parochis tantum*, idque pro casibus, in quibus desit tempus recurrendi ad ipsos Ordinarios et periculum sit in mora: S. Off. decret. a Leone XIII. appr. 1. Mart. 1889; cf. Acta S. Sedis v. 21 pag. 696.

Explicatio. Nota ad I. 1. A dispensatione igitur *penitus excluduntur*:

1) defectus consensus, 2) error (non tamen error conditionis servilis), 3) vis sive metus, 4) ligamen, 5) consanguinitas in linea recta et in primo gradu laterali, 6) affinitas in primo gradu lineae rectae ex legitimo matrimonio exorta.

2. *Vix unquam* dispensatio concedi consuevit in: 1) cultus disparitate in regionibus fidelium; 2) crimine conjugicidii publico; 3) affinitate primi gradus lineae rectae ex crimine orta, si publicum factum est; 4) sacro ordine vel religiosa professione. V. Phillips *Lehrbuch des K.-R.* § 276.

3. Impedimenta, in quibus dispensatur quidem, sed quorum dispensatio *gravioribus omnino causis* requirit, haec sunt: 1) consanguinitas in secundo gradu, maxime si simul attingit primum; 2) cognatio legalis; 3) cognatio spiritualis inter levantem et levatum (a fortiori inter baptizantem et baptizatum); 4) crimen cum mortis machinatione, etsi non publicum; 5) publica honestas ex *matrimonio* exorta, saltem in proximo gradu; 6) defectus aetatis; 7) clandestinitas.

4. Impedimenta igitur, in quibus *ex causis minus gravibus* dispensatur, sunt: 1) consanguinitas et affinitas in tertio et quarto gradu; 2) publica honestas ex sponsalibus orta; 3) crimen adulterii tantum „neutro machinante“; 4) cognatio spiritualis *compaternitatis*; 5) attamen etiam impedimenta graviora supra recensita, si occulta sunt et ex crimine orta, maxime post matrimonium quoad externam speciem contractum.

Ad II. 1. Si sponsi ex diversis dioecesibus sunt, sufficit omnino, dispensationem ab uno Episcopo impetrare, vid. ab Episcopo ejus sponsi, qui forte causam seu originem impedimenti posuit. Nam uno dispensato uterque habilis efficitur; quod eo minus repugnat, etsi non uterque est Episcopo dispensanti subditus, quia Episcopus potestate a Summo Pontifice utpote *omnium* fidelium Superiore delegata utitur: v. S. Alph. I. 6 n. 1142. Quare contraria opinio merito spernanda est.

2. In iis causis, in quibus secundum probabilem opinionem (cf. III) facultas dispensandi ad Episcopum jure ordinario devolvitur, Episcopus aut per se, aut per alium dispensare potest; imo aliis hanc facultatem generali delegatione communicare potest. S. Alph. I. c. n. 1025 dicit, id *communiter affirmari*. Cf. etiam Heiss § 49 III.

Quando vero ex solo privilegio Episcopis facultas dispensandi competit, videre debent, num et quanta facultas alios delegandi (seu potius subdelegandi) ipsis in privilegio concessa sit.

3. In quo privilegio seu indulto Episcopis non raro dato clausulae quaedam apponi solent, quae ad amussim observandae sunt, ne valor dispensationis corrumpatur aut dubius fiat. Aliquas gravioris momenti hinc adnoto:

1) Si dicitur „nullo modo uti possit extra fines suae dioecesis“, non tantum requiritur, ut ille, cui datur dispensatio, Episcopo dispensanti sit *subditus*, per domicilium aut quasi-domicilium, sed etiam, ut subditus ille *actu sit in dioecesi*, quando dispensatio conceditur: non vero necessarium est, ut in dioecesi incipiat dispensatione accepta uti. Si vero illa similisve clausula abest, Episcopus suum subditum ubique dispensare potest, i. e. sive Episcopus dispensans est extra dioecesim, sive subditus dispensandus peregre existit. Cf. Acta S. Sedis vol. 2. pag. 671.

2) Non raro pro dispensationibus *publicis* haec clausula praecipitur observanda: „in dispensatione tenor hujusmodi facultatum inseratur cum expressione temporis, ad quod concessae fuerint“. Si insuper additur: „alias nullae sint dispensationes“, satis patet, hanc temporis etc. insertionem *ad valorem dispensationis* requiri. — Si vero haec clausula „alias nullae sint“ omittitur, temporis insertio est quidem per se omnino observanda, sed non requiritur ad valorem; imo si pro circumstantiis observari nequit (ut si per telegraphum ex necessitate danda est dispensatio), licite negligitur, quando pro valore praescripta non est. Ita ex resp. S. Officii, S. Pontifice confirmante, 15. Junii 1875. Cf. *Archiv für kathol. Kirchenr.* tom. 46 p. 184 sq.

Videlicet Vicarius generalis S. Ludovici in America . . . solutionem sequentis dubii petit . . . „3. An dispensatio super impedimentis matrimonialibus ab Ordinario hujus regionis juxta facultates Apostolicas concessas, quamvis graviter illicita, tamen valida sit, quando data sit *informis*, propterea quod *tenor facultatis* a S. Sede delegatae, vel *tempus*, ad quod concessa, expressa non sint, vel quia telegraphice paucis verbis, vel *oretenus* tantum concessa sit. — Dubium hoc oritur ex omissione clausulae „alias nullae sint“ in facultatibus Americae *nunc* concessis; quae clausula *olim* in hujusmodi facultatibus expresse apposita fuerat“.

R. ad 3.: „*Affirmative*“ (igitur valida est dispensatio *informis*) „dummodo reapse mulier rapta non fuerit, vel si rapta, in potestate raptoris non existat“ (sc. haec clausula *etiam* apponitur in formulis, quibus privilegium Episcopis conceditur; haec clausula semper ad valorem spectat, quia aliter impedimentum *raptus* etiam adesset, a quo Episcopi dispensare non possunt). „Clausulas vero servandas ad amussim esse, quantum tamen rerum, temporum locorumque adjuncta ferre possunt.“

3) In eodem responso modo citato dicitur, Episcopos, qui acceperunt facultatem dispensandi in hoc et illo gradu consanguinitatis et affinitatis, ea facultate uti posse, sive gradus oriatur ex uno, sive ex multiplici stipe, sc. sive cognatio ortum ducat ex communi patre *et* matre, sive ex communi patre *aut* matre tantum.

795 Ad III. 1. Facultatem Episcoporum, quam sine speciali privilegio jure ordinario exercent, ad solos *occultos* casus restringi, neque exerceri posse in *publicis* causis, etsi videatur adesse vel adsit urgentissima causa, vide apud Bangen II. pag. 154, von Schulte op. cit. pag. 374, S. Alph. l. 6 n. 1122, et habes edictum S. Congregationis Concilii 19. Jan. 1661.

2. Non in dubio juris tantum (in quo summa lege ne requiritur quidem dispensatio), sed etiam in dubio facti, si res *vere dubia* manet, dispensare Episcopos posse, habes apud S. Alphonsum n. 902 in fine et apud Scavini III. n. 1029 „plures auctores graves dicunt, quod tunc poterit Episcopus dispensare“. — S. C. C. hac de re interrogata 18. Sept. 1852 respondit: „consulat probatos auctores, et in casibus *gravioris dubii* recurrat ad S. Sedem saltem ad cautelam“: propterea supra monui „si magna praesumptio adsit pro impedimento“, Episcopo potius esse abstinendum a dispensatione, nisi ex privilegio in hac specie possit dispensare: cf. n. 729.

Quid vero vi privilegii Episcopi possint, certe non idem est in diversis regionibus.

Ad IV. Seposito igitur Episcoporum privilegio, quod in remotiori-⁷⁹⁶ bus locis satis amplum concedi solet, idque magis amplum pro solo foro conscientiae, quaedam sunt notanda de tribunalibus Romanis, ad quae sive in omnibus sive in gravioribus causis recurri debet¹.

Dataria unum tribunal est, alterum Poenitentiaria.

Dataria concedit dispensationes in foro externo circa impedimenta publica, Poenitentiaria in foro interno circa occulta impedimenta². — Quamquam pro natura impedimentorum haec duo tribunalia sola distinguuntur: tamen notum est,

1) ex regionibus, quae S. Congreg. de Propag. Fide subjiciuntur, hanc ipsam Congregationem adiri, utpote quae loco omnium aliarum Congregationum et tribunalium quaelibet negotia „ad terras missionum“ spectantia tractet;

2) impedimentum, quod ex notorio delicto ad S. Inquisitionem spectante ortum ducit, ad eam referri debere: spectant vero ad S. Inquisitionem ea crimina, quae reddunt hominem de haeresi suspectum, ut inter alia est publicum criminis impedimentum (ut si quis, vivente conjuge, alteram duxit): v. Bangen II. pag. 171.

Pro praxi confessariorum et parochorum utile est scire, quae facultas per diversa privilegia Episcopis data sit: unde colligant, quando ad hos, quando sive per se sive per Episcopum suum ad Romana tribunalia confugere debeant.

Poenitentiaria quidem, etsi ex Constitutione Bened. XIV. „*Pastor bonus*“ facultates exercet limitatas, tamen in *quolibet* impedimento *fori interni*, nisi per Episcopum dispensari possit, adeunda est. Si enim ordinaria potestate Cardinalis Poenitentiarius Major dispensare non potest, adibit Summum Pontificem, ut per eum dispensatio detur

¹ Communiter quidem, nisi forte periculum laedendi sacramentale sigillum obstat, parochus vel confessarius *primo* recurrat ad Ordinariatum, ut aut ab ipso dispensationem accipiat, aut per Ordinarium petitio Romam dirigatur. — In casibus occultis in confessione cognitis nihil quidem impedit, quin statim Romam recurratur; in casibus vero publicis ipsa dispensationis expeditio fieri communiter nequit nisi *per Ordinarium*.

² Ita saltem ex nativo munere horum tribunalium. Attamen recenti tempore Pius IX. Poenitentiariae quoque concessit potestatem dispensandi pro pauperibus in foro *externo* circa publica impedimenta. Quod si fit, forma petitionis eodem modo conficitur, ac si Dataria adiretur, i. e. expressis *veris petentium nominibus*; sed negotium absolvitur *minoribus expensis*. Cf. Acta S. Sed. vol. I pag. 382 sqq. Taxa solvenda, quae tunc a Poenitentiaria ad Datariam transmittitur, est pro impedimentis levioribus (sc. gradus 3. et 4., cognationis spirit. compaternitatis, criminis adulterii, affinitatis ex copula illicita) 3 scutata Rom., in impedimentis 2. gradus et 2. cum 3. scutata 5—6; in impedimentis, quae 1. gradum attingunt, 6—8 scutata R. Insuper si per „Agentes“ negotium tractatur, ipsis etiam remuneratio debetur, quae tamen, nisi extraordinarie labores augere debent, scutatum unum non excedit.

Quodsi petentes ita pauperes sunt, ut praefatam taxam solvere nequeant, haec etiam remittitur. In Dataria taxa multo major solvenda est.

vel facultas delegetur, atque si causa Summo Pontifici probata fuerit, petitioni confessarii aliorumque petentium satisfactorius est.

797 Facultates autem, quae Episcopis per privilegia dari consueverunt, pro diversis regionibus diversa esse, jam monui.

Facultates quinquennales, Episcopis Germaniae dari solitae¹, quatenus matrimonium spectant, hae sunt (von Schulte *Eherecht* I. Th. § 46: *Haringer der Beichtvater* Append.):

Pro foro externo: „N. III. Dispensandi in 3. et 4. simplici et mixto (consanguinitatis et affinitatis) gradu tantum, cum pauperibus² in *contrahendis*; in contractis vero, cum haereticis conversis etiam in 2. simplici et mixto, dummodo nullo modo attingat primum gradum, et in his casibus prolem susceptam declarandi legitimam.

„N. IV. Dispensandi super impedimento publicae honestatis, iustis ex sponsalibus proveniente.“

„N. V. Dispensandi super impedimento criminis, neutro tamen conjugum machinante; ac restituendi jus petendi debitum amissum.“

„N. VI. Dispensandi in impedimento cognationis spiritualis praeterquam inter levantem et levatum.“

„N. VII. Hae vero dispensationes matrimoniales, vid. III., IV., V. et VI., non concedantur nisi cum clausula: ‚dummodo mulier rapta non fuerit, vel, si rapta fuerit, in potestate raptoris non existat‘, et in dispensationibus huiusmodi declaretur expresse, illas concedi tamquam a Sedis Apostolicae delegato, ad quem effectum etiam tenor huiusmodi facultatum inseratur cum expressione temporis, ad quod fuerint concessae; *alias nullae sint*.“³

798 *Pro foro interno*: „N. VIII. Dispensandi ad petendum debitum conjugale cum transgressore voti castitatis, qui matrimonium cum dicto voto contraxerit, monendo etc.“

„N. IX. Dispensandi cum incestuoso sive incestuosa ad petendum debitum conjugale . . . remota occasione peccandi, et injuncta gravi poenitentia salutari, et confessione sacramentali quolibet mense per tempus arbitrio dispensantis statuendum.“

„N. X. Dispensandi super occulto impedimento *primi*, necnon *primi et secundi*, et *secundi tantum* gradus affinitatis ex illicita carnali copula proveniente, quando agitur de matrimonio cum dicto impedimento jam contracto, et quatenus agitur de copula cum suae putatae uxoris matre, dummodo illa secuta fuerit post ejusdem putatae uxoris nativitatem, et non aliter; monito poenitente de necessaria secreta renovatione consensûs cum sua putata uxore, aut suo putato marito, certiorato seu certiorata de nullitate prioris consensûs, sed ita caute, ut ipsius poenitentis delictum nusquam detegatur; remota occasione peccandi, ac injuncta gravi poenitentia salutari etc.

¹ Videntur primo datae esse Ferdinando Archiep. Coloniensi 21. Dec. 1645: v. *Haringer* l. c.

² Bangen II pag. 157 hanc facultatem pro Episcopo Monast. sic refert „nec cum pauperibus, sed etiam cum nobilibus et divitibus, in *contrahendis* etc.“

³ Haec ultima clausula, ut supra dixi, in facultatibus Episcopis Americae aliisque nuper datis sublata est: quid pro praxi inde sequatur, v. *ibid*.

„Dispensandi super dicto occulto impedimento seu impedimentis affinitatis ex copula illicita etiam in matrimoniis contrahendis, quando tamen omnia parata sint ad nuptias, nec matrimonium absque periculo gravi scandali differri possit, usque dum ab Apostolica Sede obtineri possit dispensatio; remota semper occasione peccandi et firma manente conditione“ (ut supra).

„N. XI. Dispensandi super occulto criminis impedimento, dummodo sit absque ulla machinatione et agatur de matrimonio jam contracto: monitis putatis conjugibus de necessaria consensûs secreta renovatione ac injuncta etc.“

Additur N. XII. facultas revalidandi dispensationes ob incestum non indicatum invalidas: quae in posterum pro dispensationibus erit inutilis ex iis, quae infra n. 812 exposita habes.

NB. 1. Ut Bangen loco supra citato refert, aliquando pro certo numero causarum etiam amplior facultas conceditur, e. g. pro foro externo in *primo cum secundo* gradu consanguinitatis lineae collateralis, in *primo* gradu affinitatis lineae collateralis.

NB. 2. In facultatibus pro foro interno generatim non invenitur ulla facultas dispensandi in consanguinitate, siquidem haec, etsi re ipsa occulta sit, *jure* censetur *publica*.

In regionibus dissitis facultates etiam omnino ampliores concedi consueverunt. Exhibeo facultates, quas Episcopi Americani recipere solent.

I. Facultates *ordinariae* (Formulae I), quas Episcopi iis, quibus visum⁷⁹⁸ fuerit, subdelegare possunt, quatenus matrimonium spectant, sunt hae: ^a

„6. Dispensandi in 3^o et 4^o consanguinitatis et affinitatis gradu simplici et mixto tantum, in 2^o, 3^o et 4^o mixtis, non tamen in 2^o solo quoad futura matrimonia; quod vero ad praeterita etiam in 2^o solo, dummodo nullo modo attingat 1^m gradum, cum his, qui ab haeresi vel infidelitate convertuntur ad fidem catholicam, et in praefatis casibus prolem susceptam declarandi legitimam.

„7. Dispensandi super impedimento publicae honestatis iustis ex sponsalibus proveniente.

„8. Dispensandi super impedimento criminis, neutro tamen conjugum machinante, et restituendi jus amissum petendi debitum.

„9. Dispensandi in impedimento cognationis spiritualis praeterquam inter levantem et levatum.

„10. Hae vero dispensationes matrimoniales non concedantur nisi cum clausula: *dummodo mulier rapta non fuerit, vel si rapta fuerit, in potestate raptoris non existat*; et in dispensatione tenor huiusmodi facultatum inseratur, cum expressione temporis, ad quod fuerint concessae.

„11. Dispensandi cum gentilibus et infidelibus plures uxores habentibus, ut post conversionem et baptismum, quam ex illis maluerint, si etiam ipsa fidelis fiat, retinere possint, nisi prima voluerit converti.“

II. Facultates *extraordinariae* (Formulae D), quae non omnibus sub-⁷⁹⁸ delegari possunt, sed solis Vicariis Generalibus, si Episcopus ultra diem^b abfuerit, et duobus vel tribus presbyteris in locis remotioribus dioecesis pro certo numero casuum urgentiorum:

„1. Dispensandi super impedimento cognationis spiritualis inter levantem et levatum.